

123

ne, quam illustramus, adhuc durat. Additur PECVNIAE VALENTINI *Nostris*, vel potius *Nummum* HS DC, ut designaretur pecunia a Titio Valentino relicta, quum plures alios Curatores Kalendariorum in Colonia Pisarense fuisse verosimile sit, pluresque alias pecuniarum summas in certum opus relictas, quarum administratio separatim concederetur. De Curatoribus Kalendarii vid. Pancirol. de Magistr. Municip. Cap. XIV. & Noris. Cenot. Pisan. Diff. I. cap. 3.

PATRONO VI VIR AVG. *Patrono Sevirum Augustalium*. Seviri Augustales totum ordinem Augustalium representabant. Hinc qui Patronus erat universi ordinis Augustalium, Patronus Sevirum Augustalium dicitur. Aliæ quoque Inscriptiones idem testantur. In Inscr. Dom. Cl. Fabretti cap. II. n. 251. habetur Inscriptio *M. Silio Epaphrodito* PATRONO SEVIRVM AVGVSTALIVM posita; in Gudio pag. CXIX. 1. occurrit *C. Calvinus* PATRONVS VI VIR. AVG. In Syntagm. Doniano Cl. V. 123. *Rutilia Paullina* SEVIRI AVGVSTALES PATRONAE OB MERITA PATRIS ET IPSIVS posuerunt Inscriptionem. COLLEG. FABR. &c. Vid. not. XLIV.

EX DIVI NERVAE EPVLAR.... Alterum huic versiculo incubare mendum, subjectis punctis, ut dicebamus, ostendit Gruterus. Reinesius Cl. VI. 24. postquam alimentariæ pecuniæ institutionem Divo Nervæ retulisset, ait: *Puellas illas Divi Nervæ cum Alimentor, & pecunia alimentaria memoraverat lapis Pisaur. 6. CCCCXL. Sed descriptores corruerunt in epulas, & fecerunt, ut nihil fere ibi intelligamus.* Quamobrem, quoniam homo ingeniosissimus Reinesius non est ausus locum corruptissimum emendare, vitio mihi non detur, si lapidis præsidio destitutus hanc laudem ipse quoque felicioribus ingeniis relinquo.

X X X I X.

MAnutius in Orthographia in *V. Nevius*, & Gruter. pag. CCCCXL. 7. Inscriptionem hanc ediderunt. Idem hic *M. Nevius Jovi Optimo Maximo* Inscriptionem posuit, quæ Collectioni nostræ præfigitur. V. Not. I.

X L.

Beneficio repetitæ Gruteri Editionis integram exhibeo pulcherrimam Inscriptionem, quam mancā & mutilatam in MSS. Collectionibus inveneram; puncta enim pro literis fugientibus,

Q 2